



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 12. Sacerdotes no[n] sint errone[s] & vagabu[n]di.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

bas quæcunque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad eaque vltèrius retinenda inhabilis redatur. Hæc iudicia perhorrescite Sacerdotes, secreta hæc vobis meum incutiant, Conciliis obedite, ne hæc pœnas incurratis. Vos inquam Episcopi qui adeo opulenti estis, vos Beneficiarij, qui tot census & redditus annuos possidetis, vos Pastores, quibus tot decimæ conferuntur, horum omnium confiscationem timete, ne item Deum offendatis, ne proximo scandalo sitis, & animarum vestrarum perniciem incurratis.

CAPVT XVI.

Sacerdotes non sint erronei & vagabundi.

INter ceteras quas Deus primo homicidæ & fratricidæ Caino maledictiones inflixit, fuit Gen. 4. quod toto vitæ tempore per terram vagaretur & erraret. *Vagus & profugus eris super terram.* Sacerdotes vagi Caino similes.

Atrox & grauis hæc sententia aduersus nefarium hunc paricidam lata, præiudicium quoddam profecto fuit, Sacerdotes vagos & errantes Caino per similes esse, à Deo hic maledictos, & post hanc vitam puniendos.

Hebræis olim minas intentans Deus ait, Num. 14. *sterilitatem illorum ob peccata perpetrata in deserto ad multos annos vagaturam, & eodem non sine molestia egressuram, Filij vestri erunt vagi in deserto.* Magna haud dubiè Dei punitio, patria egredi, sine habenis huc illuc ferri, perque omnes orbis angulos diuagari, ac præsertim Sacerdotem.

Iob de diuina vindicta, de quæ Dei in peccatores animaduersione loquens ait, Iob. 22. *Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus.*
Ee 4 alienis

alienis. Sacerdotes omnes viri potentes sunt, sed non mediocris cæli vindicta est, cum Ecclesias illos deserere, per vrbes varias discurre, & in externis regionibus diuagari videmus.

Pro. 5.
Vagari signum animi lasciui.

Mulierem lasciuam describens Salomon inter cætera ait, gressus eius vagos esse, & vias eius inuestigabiles. Insignis locus qui docet, Sacerdotes vagos & errantes & diæcesim relinquentes, animi sui leuitatem lasciuiamque ostendere.

Cant. 1.

Cordata illa sponsa de sponso sciscitans, egré tamē & nonnisi inuita domo egrediens ait, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum, & ab omnibus quæ me errantem conspexerint, vana, & vagabunda iudicet.* Prudens illa sponsa animarum sanctarum imaginem ferebat, quas numquam monasterio, si religiosæ aut templo, si Sacerdotes sint, egredi oportere: nihil enim indecentius & turpius quàm diuagari & huc illucque plateatim discurrere.

Filiam de-
deceat huc
illucque di-
scurrere.

4. Reg. 4.

At in Elisæo miraculum singulare fuit & res inaudita, quod mulier Sunamitis illum virum Dei & sanctum esse iudicaret, quod sæpius ante domum illius transiret, *Quæ dixit ad virum suum, animaduerto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.* Est enim eximium & inauditum miraculum, si Sacerdos vel religiosus qui sæpe per plateas curstat & otiosus diuagatur, vir sanctus & probus habeatur, & magna populo fiat.

Vagari signum mulieris salacis.

Inter meretricis & pellacis mulierculæ notas euagationem & inquietem posuit Salomô. *Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo*

domo consistere pedibus suis. Quò moraliter hoc exponam, dico Religiosum, qui monasterij se septis continere nequit, sed huc & illuc per oppida & plateas discurret, & perpetuò vagus obambulat, animæ suæ instabilitatem ostendere.

Prou. 7.

Soror Patriarcharum Dina, quòd euagari & discurrere, paterna domo egredi, & per agros externorum obambulare voluerit, sibi ipsi exitio fuit, & verecundiam virginalem à principe Sichimitarum deflorata amisit, *Egressa est autem Dina filia Lia vt videret mulieres regionis illius. Vt allegoricè hoc exponam, quotnam hodie animas sibiipsis perniciem adferre constat, quot Sacerdotes & Religiosos sibi exitio esse videmus, quòd cursitent, diuagentur, & intra monasterij claustra nequeant persistere.*

Gen. 34.

Cur olim populum suum castigaret Deus, per Prophetam aperuit, dum, vagationem & cursitationem, instabilitatemque in eo coarguit: ait enim per Isaiam, *Propter iniquitatem auaritia eius iratus sum, & percussi eum, &c. & alius vagus in via cordis sui.* Si quis etiam hodierna die inquirere voluerit, cur tam grauitè Deus in Sacerdotes animaduertat, auaritiam illorum in causa esse comperiet: nulla verò maior & grauior illis infligi punitio potest, quàm si liberè, dimissis habenis huc illuc diuagentur & quietem fugiant.

Isai. 57.

Eodem etiam modo Oseas famem & captiuitatem Israelis prædicens, velut omnium malorum & ruinarum maximam adiungit, *Abijciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Et est reuerà grauis punitio & seuera Dei animaduersio, cum Religiosus so-

Osee. 9.

Religiosus discurrens

reprobatus se à

Deo ostendit.

litudinem perofus diuagatur; ostendit enim se à Deo reprobatum & omnino abiectum.

Gen. 27.

Esau vir prophanus, qui semper per silvas & montana venando oberrabat, quod domi subsistere non potuerit, benedictione paterna excidit, & sui ipsius ruina exstitit; Iacob verò, qui à latere matris non recederet, eandem obtinuit & primogenituræ ius sibi vindicauit. *Sume arma & pharetram & arcum & egredere foras.* Allegoricè hoc exponendo dico, Sacerdotes & Religiosos qui venatione oblectantur, quotidie per silvas & agros oberrant, neu in templo subsistere queunt, sæpenumero sanctis Patris celestis benedictionibus priuari; solitarios verò & quietis studiosos, Iacobos, qui à domo Dei non recedunt, inq; cœnobiis suis quieti degunt, easdem nancisci, & tum in hoc mundo, tum in altero beatitudinis compotes reddi.

Ioan. 20.

Post resurrectionem Dominicam Apostolus Thomas, quod ambulatum exiisset, & collegarum suorum, qui noctu diuque precibus intendebat, consortium deseruisset, Christi apparentis conspectu priuatus fuit, eumque coram Apostolos alloquentem audire & videre non potuit, *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus, &c.* Vos verò Sacerdotes, qui Thomæ exemplo diuagamini, videte, ne, dū sapius ab Ecclesia abestis, & deambulatis, aliis orationi incubentibus, iucundissimo Christi, qui iā dudū resurrexit, & iā gloria donatus est in Cælo, aspectu priuem ini.

Gen. 7.

Sacerdotes diluuiò, non est reuersus, sed cadaueribus vagi coruo insedit, *Emisit coruum qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* Doce-

les.

Docemur hic, Sacerdotes & Religiosos vagari
assuetos, Ecclesia, quæ vera Noëi arca est, egre-
dientes, eodem sæpenuerò non reuerti, oc-
cupationum mundanarũ diluuiò obrutos, aut
putrescentibus mundi voluptatibus adhærentes.

*Concil. Ven-
net. I. c. 5. A-
gath. c. 38.
Meldes. c. 22.*

Sacra Ecclesiæ Concilia vetant Clericos &
Monachos sine litteris commendaticijs, extra
diocesim diuagari. Quotnam verò hodie er-
rones & vagantes Sacerdotes videre est, qui si-
ne licentia, magno Ecclesiæ scandalo, propria
diocesi relicta, per alienam diuagantur.

Sess. 23. c. 16.

Adhæc Magnam Concilium Tridentinum
hosce erroneos grauitè corripies, vetat ne Epi-
scopi, celebrandi, Sacramentorum aut alia-
rum functionum sacrarum exercendarum
in sua diocesi licentiam illis concedant; *Nec*
ab vilo Episcopo ad diuina celebranda, aut Sacra-
menta administranda admittatur. Egregia sta-
tura, quæ hodie vtinam in vsu forent, non tot
religiosos vagabundos, non tot Sacerdotes ex-
tra diocesim errantes videremus.

Cap. 15. c. 13.

Can. 17.

Ipsa quin etiam Synodus Oecumenica Nice-
na, Chalcedonensis, & Constantinopolitana
sexta, huc de Sacerdotibus vagis canonem scri-
psere, *Quod si relictis locis suis ad alium se locum*
transferre voluerint, deponantur & ab officio su-
spedantur. Proh audaces & licetiosi Sacerdotes,
qui sine licentia & venia per vniuersum regnũ
discurritis, & liberè velut equi cõductitij diua-
gamini, Deum profectò non mediocriter of-
fenditis, & conciliorum decretis aduersamini.

*Concil. Nic.
c. 16. Antio-
che. c. 3.*

Quintus decimus Apostolorum Canon, ab a-
lijs duobus Concilijs cõfirmatus, omnes Sacer-
dotes à diuinis suspensos censet, qui Præsulum
iniussu relicta parochia, per vrbes externas
euagan-

euagantur; Si quis Presbyter, vel diaconus re-
 cta sua parochia in aliam abcesserit, eum non am-
 plius celebrare iubemus. Hæc decreta attendite
 vagi Sacerdotes, vobisque persuadete, Deum
 vos, dum sine licentia discurritis, grauiter of-
 fendere, Conciliorum statuta transgredi, vo-
 bisque illicitum esse Missam celebrare, vel sa-
 cra & diuina peragere.

Venatio
 Sacerdoti-
 bus inhi-
 bita.

Dist. 34.

c. eod. de

Cler. ven. c. 2

Concil. Mo-

gant. ne Cle-

ric. vel Mo-

nachi. c. 1.

Dist. 86.

c. eod.

Omnibus seruis Dei, docent Canonista, id est
 Clericis, venationes & siluaticas vagationes cum
 canibus, & vt accipitres & falcones habeant, in-
 terdicimus. Hodie verò statuta illa violantur
 & passim negliguntur, cum non nisi religiosos
 & Ecclesiasticos per agros & siluas venando
 oberrantes videamus, accipitres & falcones
 educare, per montana & ferarum spelæa diu-
 gari, & magno cum suorum scandalo venati-
 oni incumbere.

Esau, inquit Hieronymus, venator erat, quod
 peccator, & penitus non inuenimus in scripturis
 sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores
 inuenimus sanctos. Notatu res dignissima, Sa-
 cerdotes, & Religiosos, si sancti & deuoti esse
 velint venationem fugere debere, qui verò ei-
 dem student, Esau imitari, & eiusdem etiam
 peccati participes fieri, venatio enim & pie-
 tas simul nequeunt consistere.

CAPVT XIII.

Sacerdotes ne sint in habitu dissoluti.

Eccl. 19.
 Ex habitu
 quis agno-
 scitur.

Dixit olim Salomon, Amictus corporis &
 risus dentium, & ingressus hominis enun-
 tiant de illo. Et reuera, Sacerdotes, ex habitu
 quis